

Band XI., Nr. 5292b, Seite 259-264

Der Official der Würzburger Kurie entscheidet den Streit des Klosters Frauental und Eberhards von Ellrichshausen wegen der Güter und Einkünfte des Klosters in Neuses und Igersheim: Verhör der Zeugen Eberhards von Ellrichshausen.

Ohne Ortsangabe, 1298. Februar 21.

Officialis curie Herbipolensis. Datum per copiam. Coram vobis domino . . officiali curie Herbipolensis in causa, quam . . procurator . . abbatisse et sanctimonialium cenobii in Frauental nomine earundem movet Eberhardo de Elrichshusen, idem Eberhardus super falsitate quam proposuit et proponit contra testes productos ex parte dictarum . . abbatisse et sanctimonialium probare intendit, quod frater suus Fridericus quondam de Elrichshusen bona sita in Igersheim et in Nuseze pro quibus contenditur donavit et tradidit Eberhardo predicto. Item quod idem Fridericus fuit in possessione ipsorum bonorum pacifica et quieta. Item quod idem Eber. se intromisit de eisdem bonis ipso Friderico fratre suo adhuc vivente sciente et consentiente et mandante. Item probare intendit idem Eber. quod dictus Fridericus non usufructuarius sed proprietarius sive dominus fuit bonorum predictorum. Item quod utebatur ipsis bonis dum vixit tamquam propriis. Item quod de eisdem bonis et ad ea pertinentes agros prata et redditus distraxit vendidit et alienavit pro voluntate sua. Item quod in hoc nec per dominam Petrissam aut ipsas dominas de Frauental vel alium quemquam prohibitus fuit. Item quod alienationes facte per Fridericum predictum et venditiones de bonis que debebant contingere eum pro sua portione hereditaria, ut asserit pars actricum, super quibus etiam alienationibus et venditionibus testes earum deposuerunt, facte sunt citra proxime transactos tres vel quatuor quinque aut sex seu ad maius octo annos. Protestatur nichilominus prenominatus Eber. inter eum et partem adversam super rebus seu bonis supradictis exceptionem de re finita, quam si necesse fuerit se offert loco et tempore probaturum. Item quod domina abbatissa predicta pro se et sororibus promisit data fide stare diffinitioni domini de Brunecke. Item quod Eber. hoc similiter data fide promisit. Item quod dominus de Brunecke super eo pronuntiavit sive diffinivit. Item quod hanc pronuntiationem sive diffinitionem neutra partium contradixit.

Queratur super primo articulo, si ius donandi habuerit, unde habuerit ius donandi et si pura sua fuerit proprietas et solida bona et in solidum sua fuerint. Item super secundo articulo queratur, si suo nomine solo possederit vel soror partem habuerit prioris matrimonii. Item super tertio articulo queratur, si

II

tanquam ille cui res committitur conservanda vel tanquam proprietarius aut donatarius cui donatur. Super quarto, si soror Friderici habuerit aliquid iuris in bonis vel competebat. Super quinto queratur, qualiter reputabant ipsum Eber. recepisse et si presentes fuerint tempore receptionis bonorum. Super sexto queratur, si iure potuerit alienare. Super septimo queratur, si sciverint domine alienationes. Item queratur quomodo sciant, visu vel auditu, item de loco, quibus presentibus.

Heinricus dictus Kirchener testis iuratus rogatus de primo articulo intentionis, videlicet si Fridericus quondam frater Eberhardi rei donaverit et tradiderit Eberhardo predicto bona sita in Igersheim et in Nuseze, de quibus questio est, dicit quod sic. Rogatus unde sciat dicit quod presens fuit quando Fridericus premortuus voluit et debuit ire ad terram Misenensem¹, tunc donavit et tradidit ipsi Eberhardo dicta bona sub tali condicione, quandocumque rediret quod restitueret ei ipsa bona donatione huiusmodi penitus revocata. Dicit etiam testis, quod cum dictus Fridericus reversus esset de terra Misenensi non repetiit dicta bona sed dictus Eberhardus tenuit eadem bona usque ad mortem fratris sui tanquam proprietarius sive dominus eorundem bonorum. Rogatus, ubi donatio bonorum facta fuerit, dicit quod in Igersheim in curia dicti Weisen. Rogatus, quamdiu sit, dicit quod sit oblitus. Rogatus de die et de mense et de tempore anni dicit quod fuerit in yeme una die circa sero. De aliis non est memor. Presentes ibi fuisse nominat . . . dictum Weisen, . . . dictum Luene de Nusezze, Bertoldum de Reno² et alios quam plures quos nominare nescit. Item rogatus, si Fridericus habuerit ius donandi dicta bona et unde habuerit ius donandi et si sua in solidum fuerint, dicit quod credat sic, quia ex successione materna ad ipsum eadem bona pervenerint. Dicit etiam se ab aliis audivisse quod soror Friderici monialis nullam partem habuerit in dictis bonis quia alia bona equivalentia fuerunt ei ad claustrum tradita et donata. Item rogatus, si Eberhardus distraxerit vendiderit et alienaverit agros prata et redditus ad dicta bona pertinentes dicit quod non. Item rogatus, si alique alienationes et venditiones facte fuerint per Fridericum premortuum, dicit quod sic, quia presens fuit quando vendidit partem bonorum pro XVIII libris Hallensium avunculo suo dicto Sucel et filiis suis ac aliis hominibus in eisdem bonis residentibus et istam venditionem dicit factam fuisse citra IIII annos vel sex proxime transactos. Rogatus si per dominam Petrissam aut ipsas dominas de Frauental vel alium quemquam prohibitus fuerit vendere, dicit quod non. Rogatus dicit quod venditio bonorum facta fuerit pro parte in Igersheim et pro parte in Mergentheim. Domino de Brunecke attinet, propter cuius participationem excommunicationis vinculo est ligatus. Negat

¹Unermittelt.

²Pfalzgraf bei Rhein.

III

se instructum nec subornatum etc.

Conradus dictus Luene testis iuratus rogatus per omnes articulos intentionis dicit se presentem fuisse quando Fridericus donavit et tradidit fratri suo dicta bona sine omni condicione, quia non putavit se de terra Misenensi rediturum. Dicit etiam testis quod reverso Friderico nichil intellexit de receptione vel de restitutione bonorum, sed vidit Eberhardum in quieta possessione eorundem bonorum usque ad mortem fratris sui. Rogatus de tempore de die de hora diei de loco et de presentibus concordat plane cum primo teste preter hoc, quod dicit donationem factam circa festum beati Jacobi. Item rogatus dicit se interfuisse quod Fridericus vendi[di]t partem dictorum bonorum pro septem libris Hallensium et quod nullus ipsum in venditione huiusmodi impedivit et quod viginti anni ab illo tempore sint transacti. Dicit etiam quod postea vendidit partem bonorum et hoc relatione aliorum didicit. In aliis concordat cum teste primo, non est excommunicatus nec instructus, nulli dicit se attinere.

Conradus dictus Weise testis iuratus rogatus dicit se donationi interfuisse et addit, quod Fridericus postquam reversus fuit de terra Misenensi utebatur dictis bonis sicut hoc etiam dicit se vidisse. Rogatus de die de loco de presentibus de hora diei concordat cum primis testibus preter hoc quod donatio facta fuit ante hiemen nec horam diei in memoria retinuit. De aliis articulis rogatus dicit de relatione sibi constare. Domino de Brunecke attinet, non est instructus etc.

Eckehardus testis iuratus rogatus dicit, quod donationi predictae interfuit et narrat per omnia sicut secundus testis, preter hoc quod post reversionem Friderici nescit quid actum fuerit inter fratres, nescit etiam quamdiu sit et qua die et hora diei fuerit, sed de presentibus et de loco concordat cum testibus antedictis. De alienatione seu venditione facta per Fridericum dicit sibi constare de relatione veridica aliorum. Non est instructus, dominis de domo Theuthonica attinet.

Bertoldus de Reno testis iuratus rogatus dicit et concordat per omnia de visu et auditu cum Eckehardo proximo teste. Istos testes iudex absolvit ab excommunicatione donec deposuerunt.

Dictus Crumelin miles testis iuratus rogatus dicit quod una dierum venit ad dominum Got. de Brunecke et invenit dominam . . . abbatissam de Frauental et Eber. de Elricheshusen apud eum contententes mutuo de possessione de quibus questio est et quilibet partium dixit se esse in possessione dictorum bonorum. Tandem promiserunt stare sententie quatuor militum quorum ipse testis unus fuit, alios non nominavit. Qui milites diffiniendo pronuntiaverunt quod vicinia que vulgariter kuntschaft dicitur requiri deberet super eo

IV

et quam partem illa vicinia diceret esse in possessione quod illa pars gaudere deberet de ea, quousque alia pars evinceret ab ea, et tres viri de consensu partium fuerunt deputati ad predictum ius videlicet kuntschaf perscrutandum, quos ipse testis non noscit, qui dixerunt quod in dicta kuntscaht percepissent quod ipse Eber. fuisset in possessione. Diffinitioni super eo facte testis non interfuit, nescit etiam si dominus de Brunecke fuerit quatuor unus nec ne aut si in ipsum solum fuerit compromissum. Dicit etiam quod de proprietate nichil ibi tactum fuit. Rogatus, ubi hec facta fuerint, dicit quod in opido Auwe in stupa prepositi. Rogatus de tempore dicit quod sit minus quam octoginta annis, hoc sciat pro certo, aliud nichil dicit sibi constare. Non est excommunicatus etc.

Dominus Gotfridus de Brunecke, cui partes iuramentum voluntarie remisissent, dicit per omnia sicut sonant articuli intentionis, excepto eo quod dicitur quod fide data partes promiserint stare arbitrio, quia nescit si fidem super eo dederint, et addit quod cum predicti tres qui electi fuerunt super kuntschaf scrutanda sibi retulissent quod Eber. esset in possessione dictorum bonorum, ipse pronuntiavit dictum Eber. debere gaudere de ea quousque alia pars evinceret ab eo, et si domine aliquid haberent proponere contra ipsum, quod hoc facerent ubicunque ipsis placeret. Rogatus ubi hoc pronuntiaverit dicit quod in opido Auwe predicto. Non est excommunicatus.

Ludewicus de Cregelingen miles testis iuratus rogatus dicit quod vidit et audivit, quod quidam monachus ex parte dominarum de Frauwental concordavit in Heinricum militem de Cregelingen et Eber. in Heinricum militem de Markolsheim et ambe partes communiter consenserunt in dominum G. de Brunecke et militem dictum Crumelin testem supradictum promittentes stare arbitrio seu diffinitioni dictorum quatuor super possessione dictorum bonorum, qui quatuor diffinierunt quod kuntschaft deberet requiri super eo, ut testis dictus Crumelin deponit. Item dicit, quod ipse testis deputatus fuit de consensu partium cum Andrea de Markolsheim et Theodrico dicto Vocke ut irent ad villam Igersheim et experirent, quod kuntschaft dicitur, super dicta possessione. Qui cum venissent ad villam Igersheim, XII rustici iurati dixerunt quod Eber. esset in possessione dictorum bonorum et hoc ipsi tres domino de Brunecke retulerunt, qui pronuntiavit prout superius in dicto suo apparet. Non est etc.

Rapoto de Igersheim testis iuratus rogatus dicit sibi nichil constare de omnibus articulis intentionis, nisi quod una die venit cum domino H. de Brunecke ad villam Erlach et invenit ibi dominam . . . abbatissam de Frauwental et Eberhardum apud dominum G. de Brunecke et dixit dominus H. de Brunecke ad patrum suum: patre, bene videas si possis concordare dominam abbatissam et Eber. Qui respondit quod nollet se intromittere, tandem pre-

cibus ductus dixit, quod utraque partium unum pro se eligeret, ipse vellet ad hoc laborare ut reconciliarentur secundum iustitiam vel amorem super possessione predicta. Tunc Eber. nominavit illum de Tanne vel dictum Rizzel, quem de hiis posset habere, et domina abbatissa dominum H. de Cregelingen, et dominus de Brunecke prefixit eis locum placiti in Frauental, sed quomodo ibi placitassent ignorat et dicit quod postea venerunt quidam milites ad villam Igersheim missi a domino G. de Brunecke volentes experiri, que partium esset in possessione dictorum bonorum, et illi dederunt possessionem Eber. Aliud nichil constat sibi.

Wolzo de Nuseze testis iuratus rogatus dicit quod ipse testis emit hereditatem dimidii mansus apud fratrem suum et ius hereditatis sive feodi recepit tam a dominabus in Frauental quam a Friderico fratre Eber. nunc mortuo et postea emit proprietatem a Friderico nullo contradicente. Rogatus quomodo bona pervenerint ad Eber. dicit quod videbatur sibi possibile quod ei succederet cum fuisset frater suus. Addit etiam quod ordinatum fuit inter predictum Fridericum nunc defunctum et dominam Petrissam, quod si ipse Fridericus intraret aliquem habitum quod tunc bona deberent sibi cedere, sed si ita moreretur sine heredibus quod tunc bona deberent cedere claustro in Frauental. Aliud nichil sibi constat de omnibus articulis intentionis.

Rudegerus dictus Snurre de Igersheim testis iuratus rogatus dicit quod emerit redditus XX denariorum apud Fridericum premortuum nullo contradicente. Aliud nichil sibi constat.

Sifridus filius Arnoldi de Igersheim testis iuratus rogatus dicit quod emerit apud Fridericum premortuum redditus III solidorum denariorum et unum pullum nullo contradicente. De aliis concordat cum Wolzone teste predicto per omnia. Isti IIII testes dicunt, quod oporteat eos participare domino H. de Brunecke excommunicato, alias non sunt vitiosi.

Theodricus Vocke testis iuratus rogatus dicit, quod Ulricus^a de Cregelingen et Andreas de Markolsheim nunc defunctus una cum ipso teste inquisitionem fecerunt super possessione bonorum de quibus questio est, quia tam actrices quam reus dicebant se possidere. Tandem a rusticis tam in Igersheim quam in Nuseze veraciter intellexerunt, quod Eber. reus esset in possessione et ipsi domino de Brunecke Got. dictam inquisitionem retulerunt, qui una cum ipsis testibus pronuntiavit ipsum reum in possessione et debere gaudere de illa, quousque evinceretur ab eo. Dicit etiam, quod rustici predicti sibi dixerunt, quod Fridericus de Elricheshusen Eber. fratri suo dederit bona de quibus questio est in potestatem suam sed nescit quo iure. De aliis nichil constat sibi nisi ex relatione. Excommunicatus fuit, sed examinatus auctoritate sibi

^aVielmehr: *Ludewicus*.

commissa ipsum absolvit et postea retrusit. Heinricus de Markolsheim miles testis iuratus rogatus dicit, quod lis et questio vertebatur inter actrices et reum super possessione bonorum de quibus questio est, cum utraque pars dicebat se esse in possessione, tandem partes compromiserunt super dicta possessione in sententiam domini Got. de Brunecke, dicti Crumelin militis et ipsius testis, qui unanimiter diffiniendo pronuntiaverunt super dicta possessionis questione, quod illa pars deberet gaudere possessione, quam rustici sive kuntschaft dicerent fuisse in possessione tempore mote litis et ad hoc deputati fuerant testes prenominati videlicet L. de Cregelingen, An. de Markolsheim, Th. Vocke, sed secunde sententie non interfuit. Rogatus ubi ista facta fuissent, dicit quod in Baldolsheim. De proprietate et de iure utriusque partis aliud nichil sibi constat. Excommunicatus fuit, sed examiner ipsum absolvit auctoritate sibi commissa et iterum retrusit.

Istis attestationibus publicatis anno domini MCC nonagesimo VIII., feria sexta ante dominicam Invocavit, ad excipiendum contra eas feriam tertiam post dominicam Reminiscere proximam pro termino assignamus.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

Abhängend das beschädigte Siegel des Offizials. Auf der Rückseite: *Testes super exceptione rei, que est quod testes monasterii falsum dixerint et quod res finita fuerit per sententiam.*

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Bamberg

Signatur/Titel des Originals:

A 180 Lade 600 Nr. 168/6

Überlieferung und Textkritik:

War bis 2007 im StA Ludwigsburg unter der Signatur B 454 U 21b.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Aussteller:

Würzburg; Offizial der Kurie

Ortsindex:

Aub, WÜ

Bad Mergentheim Wohnplatz (3643)

Bad Mergentheim, TBB

Baldersheim, Aub, WÜ

Brauneck Wohnplatz (3706)

Brauneck, Creglingen, TBB

Burgthann, LAU

Creglingen Wohnplatz (3709)

Creglingen, TBB

Ellrichshausen Wohnplatz (3237)

Ellrichshausen, Satteldorf, SHA

Erlach, Gelchsheim, WÜ, W

Frauental Wohnplatz (3712)

VIII

Frauental, Creglingen, TBB

Igersheim Wohnplatz (3782)

Igersheim, TBB

Markelsheim Wohnplatz (3653)

Markelsheim, Bad Mergentheim, TBB

Meißen, MEI

Neuses Wohnplatz (3785)

Neuses, Igersheim, TBB

Rhein

Würzburg, WÜ